Ros Dok Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Dispvtatio I, Partis Qvintae II. Ex. tit. I. & 2. lib. 28. De testamentis, qui testamenta facere possint, & quemadmodum testamenta fiant : Deliberis & posthumis haeredibus instituendis, vel exhaerendis, vel praeteritis: Et concordantibus Cod. Instit. & Novell. textibus

Rhodopoli: Typis Stephani Myliandri, Anno M.D.XCII.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1859302661

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

DISPVTATIO I. PARTIS QVINTAE

II.

Ex tit. 1. & 2. lib. 28. De teſtamentis, qui teſtamenta facere poſſint, & quemadmodum teſtamenta fiant: De liberis & poſthumis hæredibus inſtituendis, vel exhæredandis, vel præteritis: Et concordantibus Cod. Inſtit. & Novell. textibus.

Quam

DIVINA ASPIRANTE CLEMENTIA.

Præſide

THEODORO MEIERO. U. I. D.

Habebit.

FRIDERICVS à Gelhorn & Koltſchen, Sileſius.

RHODOPOLI
Typis Stephani Myliandri
Anno cIↄ. Iↄ. XCII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1859302661/phys_0001

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS ET

Clariſsimis viris

D. ABRAHAMO IENKVVITZ in Goldtſchmidt. Jaxavu, & Baumgarten, &c. Ampliſsimi Senatus in inclyta Vratiſlavienſium Republ. præfecto eiuſdemq́ Ducatus Capitaneo digniſsimo:

E T.

D. ERASMO MOLLERO in Liſſa, Krulckvuitz, Malckvuitz, Vucigvuitz, & Kreikauu, &c. Dictæ Reipubl. Senatori & Camerario primario:

Conſanguineis. Propatribus & Affinibus ſuis officioſè colendis.

Has ſuas de teſtamentis propoſitiones, debitæ obſervantiæ & gratitudinis ergò.

Dd. Reſpondens.

Abſo-

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
2023. 07683
SON A 13
334

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1859302661/phys_0002

ABſolutis judicijs, ex cauſis inter vivos contractis promananti bus, quæ vel rerum vel contractuum, vel perſonarum ſunt, reliquum eſt ut videamus de ijs, quæ ad ultimas morientium voluntates & ſucceſſiones pertinent. a.

Theſis 1.

Succeſsio eſt aut civilis, quæ à jure civili eſt introducta, & hæreditas appellatur: aut prætoria, quæ à Prætoris juriſdictione deſcendit, & bonorum poſſeſsio dicitur. b.

2. Civilis defertur mediatè vel immediatè: Hæc legitima ab inteſtato, C. illa teſtamentaria vocatur. d.

3. Teſtamentum eſt ritè facta conteſtatio, de eo quod quis poſt mortem ſuã fieri cupit. e.

4. Cuius olim duo fuerunt genera, Civile & Prætorium: f. Civile rurſus erat triplex, fiebat enim vel calatis comitijs, vel in procinctu, vel per æs & librã. g.

5. Prætorium erat, quo nulla emancipatio, ſicut in teſtamento civili per æs & libram: h. deſiderabatur, ſed ſeptem teſtium ſigna ſufficiebant, cum jure civili teſtium ſigna non eſſent neceſſaria. i.

6. In horum locum alia duo teſtamentorum genera ſucceſſerunt, unum perfectum & ſolenne, quo hæreditas dari adimiq́ poteſt: alterum imperfectum & minus ſolenne, quo hereditas dari adimiq́ nequit. k.

7. Perfectum aut in ſcriptis celebratur, & tunc dicitur ſolemne in ſcriptis, aut citra ſcripturam, viva voce hæ-

a. Vueſenb. in par. D. ad h. t. Pacius in ſerie Pend.
b. Dnus. Mich. Graſſus, in lib. recept. ſentent. §. 1. nu. 27. Freigius in tab. lib. 2. inſtit. Althuſ. in juriſpr. Rom lib. 1. cap. 18. in princ.
c. l. legitimam. D. de petit. hæred. l. 3. §. de illo D. pro ſocio.
d. l. ius noſtrum. 7. D. de Regul. jur. Freig. & Althuſ. in dict. locis.
e. l 1 l. 20: D. h t. Althuſ. in epit. dicæolog. Rõ. Pag. 11.
f. §. ſed prædicta. Inſtit. de teſta. ordin. & ibi. Freig.
g. §. ſed ut nihil. Inſt h t. Gellius li. 15. cap. 27.
h. §. ſed ut nihil. Inſt. h. t.
i. §. ſed prædicta. Inſt. h. t.
k. Freigius in quæſt. Inſt. ad h. t. Althuſ. in Iuriſpr. Rom. lib. 1. cap. 19.

335

ce hæređe nominato fit, & nuncupativum vocatur, l.

8. Solemne in ſcriptis eſt, quo heredis nomen à teſtatore, vel alio eius nomine, m. ſcribitur, quodꝗ ſeptem teſtium ad hoc ſpeciatim rogatorum ſubſcriptionibus & ſignaculis uno contextu confectum eſt. n.

9. Nuncupativum dicimus, in quo hæredis nomẽ palàm coram ſeptem teſtibus ideo convocatis nuncupatur, & omnia etiam uno contextu peraguntur. o.

10. Hæ tamen ſolennitates quibuſdam perſonis, quibus ſecundum jus gentium teſtari conceditur, remittuntur, p. puta militibus in procinctu & expeditione degentibus, q. parentibus inter liberos, r. & ruſticis ruri, teſtantibus, ſ.

11. Nec non in teſtamento ad pias cauſas, t. tempore belli ſeu peſtis condito, u. & in illo quod actis inſinuatur & coram magiſtratu fit. x.

12. Poſſunt autem facere teſtamentum omnes, qui expreſsè non prohibentur, y. quidem enim natura quidam lege, à teſtamenti factione arcentur. z.

13. Natura prohibentur, quibus obſtat vitium animi vel corporis: Animi vitium obſtat impuberibus, a. quia nullum eorum animi judicium eſt, b. & furioſis, quia mente carent. c.

l §. ult. Inſt. h. t. l. hæredes D. h. t. l. hac conſultiſſima. C. quẽadm. teſtum ordin.

m. Auth & non obſervato. C. quẽad. teſt. ordin.

n. § ſed cum paulatim. Inſt. h. t. l. conſultiſſima l. cũ antiquitas. l. jubemus. C. d. tit. l. hæredes. D. h. t.

o. §. fin. Inſt. h. t. l. hæredes in princ. d. l. hac conſultiſſima. §. per nuncupationem. d. l. jubemus, §. quemadmodum enim.

p. Bart. in l. neq́; D. de milit. teſtã. q. in. pr. Inſt. de milit. teſtam. l. 1. D. eod. tit.

r. l hac conſultiſſima. §. ex imperfecto C. quemad. teſtm. ord. Andr. Gail. pract. obſer. lib. 2. obſ. 112. Iul. Clar. li. 3 ſentent. §. teſtã. q. 8. Dn. Graſſus lib. ſentẽt. §. teſtm. quæſt. 11.

ſ. l. ult. C. h. t. C. h. t. Clar. d. §. teſtã. queſt. 56. Graſſ. d. §. quæſt, 54. nu. 6.
t. c. cũ eſſes extr. de teſtam. Clarus. d. §. q. 6 & 7. Graſſ. etiam d. § q. 18.
u. Mynſing. cent. 1. obs. 69. Gail. lib. 2. obs. 118. nu. 18. Clarus d. §. teſtam. q. 56. Graſſ d. §. q. 54. nu. 5. & 10.
x. l. õniũ C. h. t. Mynſing. cẽt. 6. obs. 29. Graſſ. d. loco. q. 54. nu. 17. 18. et 19.
y. argt. l. 1. D. de teſtib.
z. Althuſ. in juriſpr. Rom. cap. 18.
a. §. præterea Inſt. h. t. l. quæ ætate 5. D. h. t. l. 4. C. qui teſtam. fac. poſſ. l. 2. C. quando provoc. non eſt neceſſ. (*falſ. monet.*
b. d. §. præterea Inſt. quib. non ẽ permiſſ. fac. teſtm l. 1. §. impuberes C. de
c. d. § præterea. l. furioſum. C. qui teſtam. fac. poſſ.

Quoc

14. Quod ſi dilucida furoris intervalla habent, & eo tempore teſtamentum condere inceperint, & conſumaverint, nullo tali tali morbo interveniente, jure teſtati eſſe videntur. d.

15. Prodigis etiam, quibus bonorum ſuorum administratio interdicta eſt, quia furioſis æquiparantur. e. animi vitium obſtat. f.

16. Corporis vitia illa teſtationi obſtant, quibus impediuntur ſenſus ad teſtandum neceſſarij, vt eſt ſermo, auditus, viſus, unde ſequitur quod mutus, ſurdus, cæcus teſtamentum facere nequeant. g.

17. Quod ad mutum & ſurdum attinet, diſtinguendum eſt: Aut quis ſimul eſt ſurdus & mutus, & quidem vel natura, ac tunc omnino prohibetur, vel ex accidenti propter ſupervenientem morbum vbi dum demum teſtamentum conſcribere poteſt, ſi ſcribere ſciat, h. alias non, niſi à principe impetraverit: i.

18. Aut quis non ſimul utroq; morbo, ſed alterutro horum laborat, & ſi ſurdus tantum, inſtinctè ſemper teſtari poteſt: ſi mutus tantum ſimiliter modò literas ſciat, minimè prohibetur. k.

19. Cæci quoq; teſtamentum non valere, niſi per obſervationem, quam lex, l. Imperatoris Iuſtini introduxit, fuerit compoſitum ſancitum legimus. m.

20. Cavetur autem illa lege, quod cæcus qui ſcilicet utroq; lumine orbatus eſt, ſi teſtari velit, ſeptem teſtes & notarium, vel ſi eum habere non poteſt, octavum in eius locum teſtem adhibere, & eos ſe ſine ſcriptis teſtaturum edocere, & hæredis nomen ſpecialiter exprimere, eaq; ſua ultima voluntas ut à notario ſtatim, nullo extraneo actu interveniente, in ſcripturam redigatur, ac ipſius & teſtium ma-

d. d. §. præterea d. l. ſurioſum §. ſi vero voluerit.

e. l. is cui bonis D. de Verb. obligat.

f. §. item prodig. Inſt. quib. non eſt perm. fac. teſtm. l. filiusſā. 16. D. h. t.

g. §. item ſurdas Inſt. quib. non eſt perm. fac. teſtm. l. qui in poteſtate. §. ſurdus & mutus D. h. t. §. cæcus Inſt. eod.

h. l. diſcretis. C. qui teſtamen. fac. poſſ. §. item ſurdus Inſt. quib. non eſt permiſſ.

i. l. ſi mutus. 7. D h. t.

k. d. l. diſcretis. C. dict. tit.

l. l. hac conſultiſſ. C. qui teſtm. fac. poſſ.

m. §. cæcus autem Inſt. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtm.

nu ſubſcribatur, & conſignetur, curare ſ debeat. u.

21. LEGE ſive jure civili, teſtamenti faciendi poteſtatẽ non habent, qui alieno juri ſunt ſubiecti: o. ut filijſam. filiæveſamil. p. niſi de peculio caſtrenſi vel quaſi, q. & ſervi, qui in dominorum poteſtate ſunt. r.

22. Item Obſides, ſ. capti ab hoſtibus, t. de ſtatu ſuo dubij. u. Monachi. x. Hæretici & credentes hæreticis. y.

23. Ac in ſumma, omnes teſtamentum condere prohibentur, qui capitis diminutionem maximam & mediam paſsi ſunt, id eſt, qui libertatem & jus civitatis amiſerunt. z.

24. Sicut autem non omnes, ut audivimus, teſtamenti faciendi, ita teſtimonij in eo ferendi, etiam non omnes facultatem habere indubitati juris eſt. a.

25. Prohibentur enim in teſtamento teſtes eſſe, mulier, impubes, furioſus, ſervus, mutus, ſurdus, cæcus, b. hi quibus bonis interdictum eſt, & quos leges jubent improbos inteſtabilesq; eſſe. c.

26. In teſtibus etiam non poteſt eſſe is, qui in poteſtate teſtatoris eſt, d. neq; hæres ſcriptus, quia quodammodo ſibiipſi & in propria cauſa eſſet teſtis, quod fieri non debet. e.

n d. l. hac cõſultiſ.
o. in pr. Inſt. quib. non ẽ. permiſſ. l. illa inſtitutio. D. de hær. inſtit.
p. d. princ. Inſt. h. t. l. qui in poteſtate. in princ. l. filiuſã. l. ſi filiuſã. D. h. t. l ſeniũ. C. qui teſtã fac. poſſ.
q. d. pr. Inſt. h. t. l. ult. §. 1. de inoffic teſtam. §. ſciendum tamẽ. Inſt. de mil. teſtam.
r. d. l. filiusfam. & d. l. ſi filiusfam. §. 1. Inſt. qui ſunt ſui vel al. jur. l. eius qui D. h. t.
ſ l. ſi obſid D h. t.
t. §. ult Inſt. h. t.
u. l. de ſtatu. 15. D. h. t.
x. Auth. ingreſſi. C. de S. S. Ecclis. jul. Clarus lib. 3. ſentent. §. teſtã. q. 28. 29. Dnus. Graſſ. d. §. teſtam. q. 34.
y. Auth. credentes C. de hæredi. l. fin. in fin C. ne ſãct. baptiſ. reiter.
z l. eius qui. ſ.

D. ad h. t. Vveſb. in par. D. ad h. t. nu. 13. Althuſ. in juriſpr Rom. lib. 1. cap. 18.

a. §. teſtes autem. Inſt. de teſtam. ordin.

b. l. ſi non ſpeciali. C. quemad. teſtam. ordin. Mynſ. & Vveſb. in d. §. teſtes Inſt. h. t. Mich. Graſſius. §. teſtam. q. 57. nu. 12.

c. d. §. teſtes l. qui teſtam. D. h. t. l. is cui. D. eod.

d §. in teſtibus Inſt. h. t. l. qui in poteſtate D. h. t.

e §. ſed neq; Inſt. h. t. l. qui teſtã. in princ. D. h. t. l. omnibus. D. de teſtib.

338

27. Iis verò perſonis, qui non juris ſucceſſores ſunt, ut legatariis teſtimonium non denegatur. f.

28. Sic & pater, & is qui in poteſtate eius eſt, item duo fratres, in eiuſdem patris poteſtate exiſtentes, utrique teſtes in uno teſtamento fieri poſſunt. g.

29. Iuxta prædicta ſciendum eſt, quod, teſtes ad hoc ut teſtamentum valeat ſaltem: idoneos eſſe communi opinione, tempore teſtamenti ſufficit, quæcunque ſit cauſa teſtimonij impeditiva h.

30. Ac nihil quicquam intereſt, utrum teſtamentum in tabulis, an in chartis, membraniſve, vel in alia materia fiat. i.

31. Vnum etiam teſtamentum pluribus codicibus quis conficere poteſt, ſecundum obtinentem tamen obſervationem omnibus factis, idque interdum neceſſarium eſt, propter varias & innumerabiles cauſas quæ humanis neceſsitatibus imminent. k.

32. Hæ ſolennitates & requiſita ut teſtamentum omnino valeat, non ſemper ſufficiunt, ſed inſuper ab eo qui liberos in poteſtate habet requiritur, ut eos inſtituat, idque inſtitutionis titulo, l. vel exhæredet m. alioquin ſi eos ſilentio præterierit, teſtamentum ipſo jure nullum eſt. n.

33. Exhæredatio eſt ademptio hæreditatis debitæ vel datæ. o.

34. Eaque duplex eſt; Expreſſa in qua quis excluſus eſt: Tacita, in qua quis ita præteritus eſt, ut tacitè ſit excluſus. p.

f. §. legatariis Inſtit. h. t. l. dictantibus. §. ult. C. quēadm. teſtam. ord. l. qui teſtam. in pr. D h. t.

g §. pater. Inſt. h. t. l. ad teſtium in princ. D. h. t. l. pater. D. de teſtibus.

h gl. final. in fin. l. cū lege. D. h. t. l. 1. C. quemad. teſtā. ord. Bart. in d. l. 1. Iul. Clarus. lib. 3. ſent. §. teſtam. q. 55. nu. 10. Dnus. Graſſus. lib. ſent. §. teſtā. q. 57. nu. 17. Mynſing. in §. ſed cū aliquis nu. 5. inſt. h. t.

i. §. nihil intereſt. Inſtit. h. t. l. 1. in princ. de bonor poſſeſſ. ſecund. tabul.

k §. ſed unum Inſtit. h. t. l. unū 24. D. h. t. l. 1. §. ſi quis in duobus. de bon. poſſeſ. ſecund. tabul.

l. gl. magn. & Dd. in Auth. nouiſſima C. de in off. teſtā. per. §. aliud. in Auth. ut cum de appel. cogn. And. Gail. lib. 2. obs. 112. nu. 11. Mich. Graſſ. lib. ſentent. §. teſtam. q. 25. nu. 2. & ſeqq.

m in pr. Inſt. de exhær. li. l. inter cætera. D. de lib. & poſth. hær. Inſt.

n. l. ult. §. ſancimus. C. de lib. præter.

o Cujat. in par. D. liber. & poſthum. (Inſt. h. tit.

p. Schneidvu. in pr. Inſt. de exhær. lib. nu. 8. Cunrad. Vuolff. in erotem.

Quæ

339

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1859302661/phys_0007

35. Quæ hodie de jure noviſsimo ſolummodo in milite, non autem etiam ſicut olim in matre, q. obtinet, eiusq́ ſilentium pro exhæredatione nominatim facta valere conſtitutionibus principum cautum eſt. r.

36. Et hæc antiqua juris differentia ſublata tàm in maſculis, quàm in fœminis, tàm in ſuis, quàm in emancipatis, procedunt, qui omnes vel inſtituendi vel nominatim exhæredandi ſunt. s.

37. Limitatur tamen in poſthumis & infantibus, qui hodiè, cum in eos nulla ingratitudinis cauſa cadat exhæredari nequeunt. t.

33. Omnis enim exhæredationis vis in eo conſiſtit, ut juſta ingratitudinis cauſa exprimatur, quæ ab hærede ſcripto probari debet. u.

39. Cauſarum verò ex quibus aliquis ingratus judicari debeat, ab Imperatore Iuſtiniano certus eſt numerus conſtitutus. x.

40. Vnde quęſtio dubia, & ſcitu digniſsima oritur: An etiam ob alias cauſas, pręter illas quatuordecim à Iuſtiniano, y. relatas, liberi exhæredes ſcribi poſsint? Et quamvis Imperator taxativè loquatur, tamen ex ſimilibus aut maioribus cauſis exhæredationem fieri poſſe communi Doctorum calculo receptum eſt. z.

q. l. 30. §. ſin vero C. de inoff. teſt. §. aliud quoq́ capit. Novell. 115.

r. §. ſed ſi expeditione. Inſt h. t. l. ſi cum C. de teſtam. milit.

ſ. §. ſed hæc quidem. Inſt. h. t. l. maximum vitium C. de lib. præter.

t Mynſing. Schnei. Borchold. in §. poſth. Inſt. h. t. Clarus lib. 3. ſentent. §. teſtament q. 41 nu. 10. Graßus. lib. ſent. §. teſtm. q. 42. nu 14. Seb. Brandt. in parat. D. h t.

u. §. aliud quoq́. Novel. 115. Auth. non licet C. de lib. præ. l. 30. in princ. C. de inoff teſtam.

x §. aliud quoq́. Novell. 115.

y in d. Novel. 115. §. aliud quoq́.

z. Schneidvu. in princip. num. 14. Inſtit. de exhæret liber Vueſtbeck in parat. D. ad h. t. nu. 5. & conſil. 29. nu. 49. Iul. Clarus lib. 3 ſentent. §. teſtamentum q. 41. nu. 2. Dnu. Michael Graßus, lib. ſentent. §. teſtamentum. q. 42. nu. 2.

* * *

F I N I S.

35. Quæ hodie de jure noviſsimo ſolum
milite, non autem etiam ſicut olim in matre
net, eiusq; ſilentium pro exhæredatione
facta valere conſtitutionibus principum

36. Et hæc antiqua juris differenti
maſculis, quàm in fœminis, tàm in e-
mancipatis, procedunt, qui om endi
vel nominatim exhæredandi ſun

37. Limitatur tamen in poſt ntibus,
qui hodié, cum in eos nulla causa ca-
dat exhæredari nequeun

38. Omnis enim exhæ n eo conſiſtit,
ut juſta ingratitudinis ur, quæ ab hæ-
rede ſcripto probari d

39. Cauſarum ve liquis ingratus ju-
dicari debeat, ab I niano certus eſt nu-
merus conſtitut

40. Vnde q ſcitu digniſsima oritur:
An etiam , prȩter illas quatuorde-
cim à Iuſt as, liberi exhæredes ſcribi
poſsint Imperator taxativè loquatur,
tamen aut maioribus cauſis exhæreda-
tion communi Doctorum calculo re-
cen

q. l. 30. §. ſin vero C. de inoff. teſt. §. aliud. quoq; capit. Novell. 115.

r. §. ſed ſi expeditione. Inſt h. t. l. ſi cum C. de teſtam. milit.

ſ. §. ſed hæc quidem. Inſt. h. t. l. maximum vitium C. de lib. præter.

t Mynſing. Schnei. Borchold. in §. poſth. Inſt. h. t. Clarus lib. 3. ſentent. §. teſtament q. 41 nu. 10. Graßus. lib. ſent. §. teſtm. q. 42. nu 14. Seb. Brandt. in parat. D. h t.

u. §. aliud quoq;. Novel. 115. Auth. non licet C. de lib. præ. l. 30. in princ. C. de inoff teſtam.

x §. aliud quoq;. Novell. 115.

y in d. Novel. 1 §. aliud quoq princip. num. 14. Inſtit. de exhæret liber Vueſtbeck .nu. 5. & conſil. 29. nu. 49. Iul. Clarus lib. 3 ſentent. mentum q. 41. nu. 2. Dnu. Michael Graßus, lib. ſentent. §. teſtamentum. q. 42. nu. 2.

* * *

F I N I S.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1859302661/phys_0009